

3 1761 04576478 4

Collection  
of  
...

PA  
4276  
L84







INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIOCCCCLXXXVII—LXXXVIII

A DIE XVI MENSIS OCTOBRIS


PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

*Inest EDVARDI LVEBBERTI commentatio de Pindaro dogmatis de migratione  
animarum cultore.*

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

L44



206205

# RECTOR ET SENATUS

UNIVERSITATIS FRIDERICIAE GUILELMAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. In dogmate de animarum migratione multa esse, quae paradoxa, multa quae speciosa sint.

Verissima est antiquorum philosophorum tantum non omnium consentiens haec vox: non posse huius terrestris vitae summum consilium et rationem recte intellegi, nisi futurae post mortem vitae imago in pectore quotidie nobis obversetur. Eorum vero commentorum, quibus sapientissimi homines animae humanae naturam et futurarum rerum spem varie illustrarunt, unum est, quod sine dubio mirificum quidem maxime est, sed idem licet dulcis cuiusdam tristitiae spiritu perfusum sit, amabilissimum et speciosissimum, illud, quod migrationis animarum post mortem nomine nuncupare solemus. In huius enim opinionis effatis et definitionibus paradoxa ad nostrum quidem sensum plurima insunt, quae iam Aristoteles uno verbo complexus est, de anima I, 3 p. 407<sup>b</sup> 21: ὡςπερ ἐνδεχόμενον . . . τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχόν ἐνδύεσθαι σώμα· δοκεῖ γὰρ ἕκαστον ἴδιον ἔχειν εἶδος καὶ μορφήν sed unum, si iusti esse velimus, statim in ipso limine apparet: hoc palingenesiae dogma tam acres habet ad virtutem stimulos et calcaria, tam firmas ad vitia cohibenda ceteras et frenos, ut qui eius pocula pectore candido hauserit, per huius hercle vitae insidias et illecebras tutus, purus castusque et ab omin vitiorum contagio immunis incedere possit. Hoc facile ipsis eius scholae dictis et decretis demonstrari potest. Duo potissima sunt, quibus haec psychologia nititur, principia. Prius tale est. Docent huius philosophiae interpretes et mystagogi, Orphici et Pythagorei: initio rerum tempus fuisse, quo animae nostrae summa beatitudine praeditae cum deis immortalibus coniunctissimae et copulatissimae semper fuerint. Tum — pro dolor — ita accidisse, ut propter gravem aliquam culpam admissam animae nostrae, quemadmodum commeruerint, e caelo in hanc vitam terrestrem detru-

derentur. Iam inde inexorabiliter sancitum esse, ut non unius vitae spatio et curriculo percurso animabus ad caelestem originem suam reditus pateret, sed ut per multa saecula migrando, alia semper atque alia corpora introeundo errare debeant, donec postremo, factorum orbe confecto, si modo pie iusteque vivendo priscam illam culpam a stirpe evolverint et eluerint, ad aeternas illas sedes adspirare eis liceat, unde nullo unquam tempore exiturae sint.

2. Expenditur placitum illud clarissimum: animas nostras propter scelera in superiore vita suscepta in hac vita poenas luere.

Multi sunt scriptores antiqui, qui prout eorum ingenium fuit, aut cum dulci aliquo luctu, aut frementes et indignabundi praecipitem illum animarum ex caelo in huius terrae angulum descensum enarrarunt. Satis mite et leniter verba fluunt apud Ciceronem in luculento Hortensii dialogi fragmento apud Orellium ed. II, vol. IV, p. 986 (fragm. 90): *Ex quibus humanae vitae erroribus et acriminis fit, ut interdum veteres illi sive rates, sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videntur.* Multo iracundius et summo animi dolore Empedocles sortem suam deplorat, qua suamet scilicet quondam culpa ex sedibus deorum in huius terrae miserias et exilium deiectus sit. Deorum, ita ait, habemus decretum, sanctissimis suffragiis irrevocabiliter fixum: ut is, qui in illo caelesti concilio atroci se noxa, caede aut periurio polluerit, is per triginta milia annorum varia corpora introeundo in terra exul peregrinetur. Empedocl. περί φύσεως v. 1 (Fragm. philos. Gr. ed. Mullach, Paris. 1875, I p. 1): ἔστιν ἀνάγκης χρῆμα, θεῶν ψήφισμα παλαιόν, ἄϊδιον, πλατέεσσι κατεσφρηγισμένον ὄρκοις, || εὐτέ τις ἀμπλακίησι φόνῳ φίλα γυῖα μίηνη || αὐτως ἢ ἐπίορκον ἀμαρτήσας ἐπομόσση, || δαίμων, οἷτε βίοιο λελόγχασι μακραίωνος, || τρίς μιν μυρίας ὥρας ἀπὸ μακάρων ἀλαλήσθαι, || γεινόμενον παντοῖα διὰ χρόνου εἶδεα θνητῶν. Hac lege se ipsum quoque nunc in terrae exilio iactari ac saepe iam in varias figuras migrasse, ut non vir tantum et mulier, sed ut frutex etiam, deinde avis, postremo piscis fuerit; v. 9: ὡς καὶ ἐγὼ νῦν εἰμι φυτὸς θεόθεν καὶ ἀλήτης, || νεῖκεῖ μαινομένῳ πίσυρος . . . || ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γεινόμενῳ κοῦρός τε κόρη τε || θάμνος τ' οἰωνός τε καὶ εἰν ἀλί ἔλλοπος ἰχθύς. Orphici qualia illa crimina et malefacta superioris vitae sibi finxerint, nullo certo testimonio constat; res in universum tantum, tanquam non fas sit omnia eloqui vel scire velle, extremis lineis ab eis adumbratur. Plato in Cratylo p. 400<sup>e</sup>: δοκοῦσι . . . θέσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφεία . . . ὡς δίκην διδούσης τῆς ψυχῆς, ὧν δὴ ἕνεκα δίδωσι. Similiter rem in diluculo relinquit Iamblichus Protreptico 8, p. 134 (ed. Kiessling, Lips. 1813) de Orphicis: εὐθὺς φύσει συνίσταμεν, καθάπερ φασὶ οἱ τὰς τελετὰς λέγοντες, ὡσπερ ἂν ἐπὶ τιμωρίᾳ πάντες, τοῦτο γὰρ θεῖον οἱ ἀρχαιότεροι λέγουσι, τὸ φάναι, δίδοναι τὴν ψυχὴν τιμωρίαν καὶ ζῆν ἡμᾶς ἐπὶ κολάσει μεγάλων τινῶν ἀμαρτημάτων.



3. Pythagoreos seorsum ab Orphicis docuisse: non certa scelera, sed habitum animarum omnino pravom et mentem a divina mente abalienatam in caussa fuisse, ut animae in mortalia corpora deicerentur.

Pythagorei cum in universum cum Orphicis plane concordent, tamen in hac re ab amicis suis paullulum discesserunt. Qua de re accuratius quaerere operae pretium est. Pythagorei igitur, quantum quidem e scriptorum testimoniis colligere licet, non de certis maleficiis et sceleribus cogitarunt, sed, id quod subtilius et speciosius excogitatum est, universum potius animae habitum vitiosum, quo obsessa a divina communione desciverit et seorsum sibi sapiendo a summa sua salute se segregarit, in culpa fuisse statuerunt. Hoc ita Pythagoreis placuisse, non tam colligitur ex Euxitheï Pythagorei pauculis sane verbis, quae servavit Athenaeus IV p. 157<sup>o</sup>: Εὐξίθεος ὁ Πυθαγορικός . . . ἔλεγεν ἐνδεδέσθαι τῷ σώματι καὶ τῷ τῆδε βίῳ τὰς ἀπάντων ψυχὰς τιμωρίας χάριν, quam inde potius, quod Plato Pythagoreorum, quos magistrorum instar saepius colit, vestigia premens, in Phaedro p. 248<sup>o</sup> pravitatem, ignaviam, veterum id efficere solere dicit, ut animae pinguiores et ponderosiores fiant, pinnulas amittant, denique de caelo ad terram accidunt: ὅταν δὲ ἀδυνατήσασα ἐπισπέσθαι μὴ ἴδῃ, καὶ τινὶ συντυχίᾳ χρησαμένη λήθῃς τε καὶ κακίας πλησθεῖσα βαρυνθῆ, βαρυνθεῖσα δὲ πετορρυήσῃ τε καὶ ἐπὶ τὴν γῆν πέσῃ, τότε νόμος . . . Hunc igitur in modum si Pythagoreos, seorsum ab Orphicis sentientes, animarum e vita caelesti descensum sibi finxisse et illustrasse statuamus: ut non crimina et delicta certa, sed mens et voluntas a divina mente et voluntate abalienata vinculum illud caeleste laxarint et animas in huius terrae sordes detruserint, facile iam recte aestimari et cum hoc principio conciliari poterunt alia quaedam testimonia de Pythagoreorum circa animarum naturam et fata placita, quibus potissimum, quae ratio animis humanis cum numine divino ratio intercedat, illustratur. Rem optime explanat locus apud Ciceronem Cat. mai. 21, 78: *audiebam Pythagoram Pythagoreosque . . . nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus.* Eadem sententia ex refutationis conatu elucet Cic. deor. nat. I, 11, 27: *nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo animi nostri carperentur, non vidit, distractione humanorum animorum discerpi et lacrari deum.* Quae contra de eadem re apud Diogenem Laertium VIII, §. 25 ut Pythagorea traduntur, non satis integra sunt, sed Stoicis placitis interpolata πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, quod facile ipsis verbis inspectis unicuique probabitur: εἶναι δὲ τὴν ψυχὴν ἀπόσπασμα αἰθέρος . . . διαφέρειν τε ψυχὴν ζωῆς· ἀθάνατόν τε εἶναι αὐτὴν, ἐπειδήπερ καὶ τὸ ἀφ' οὗ ἀπέσπασται ἀθάνατόν ἐστιν.

4. Pindarus cur tandem dogmatis de animarum migratione paradoxis minime deterritus principalia eius effata studiose amplexus sit.

Sed iam si ab istis minusculis Orphicorum et Pythagoreorum discrepantiis nunc discedamus, quid in universum de illorum gravissimis hisce placitis censebimus? Nonne

vere ex illis antiquorum philosophorum laceris frustulis et disiectis reliquiis tamen, tanquam Gorgoneum caput, sublime illud et terribile dogma exoritur et se nobis offert: Tu, anima mortalis, tu ex vita olim beatissima divini consortii contemptrix tuapte culpa in huius terrae maerorem, luctum, lacrimas decidisti. Tu peccasti; tui tibi peccati poena luenda est! Haec cantilena dies noctesque in aures nobis se insusurrat; ea omnibus se nostris otiis et negotiis, gaudiis et curis ingerit. Verum enim vero, sit illa atrox, acerba, horrida: unum hercle est, quo mirifice et unice ad salutem nostram efficax est, quo omnis eius molestia compensatur et mitigatur. Etenim hac de peccato primigenio sententia duce et magistra ad virtutem amandam et ad vitia fugienda ita incitatur, trahimur, rapimur, ut sub eius signis militantibus nobis iam nihil sine virtute carum, nihil, in quo vitii vel umbra sit, non odiosum et non abominandum videri possit.

Sed quaerat aliquis, cur tandem tam copiose prolixèque Orphicorum et Pythagoreorum de peccato primigenio commenta nunc disceptarimus. Unum hercle ut ostenderemus, Pindarum, cum hoc dogma toto animo imbibit et amplexus est, caussam satis iustam, satis gravem, denique ipsi, qualis quidem fuit, indeclinabilem habuisse. Nam ardebat in eius quoque pectore haud minus, quam in illius placiti sapientissimorum inventorum animis virtutis flammeum et inenarrabile studium et caelestis patriae, nostra culpa amissae, desiderium. Sed audio iam cavillatorum et irrisorum voces, qui Pindarum carpant, quod philosophiam ex parte delirantem et absurda statuentem secutus sit, quae non dubitarit discernere, animas humanas in brutorum animalium corpora introire. Audio, Noverat Pindarus paradoxa illa omnia: noverat quoque haud dubie historiolum profanis absurdam, cordatis suavissimam, quae quodammodo deliramentorum Pythagoricorum in hoc genere cacumen et exemplar est, de qua in carmine suo Xenophanes rettulerat. Pythagoras enim, cum praeteriens catuli crudeliter vapulantis miserandum ululatum audisset, dominum his verbis increpuisse fertur: Desine, nam amici quondam mei anima est, quam in tui catuli eiulatu agnovi. Xenophanes ap. Diog. La. VIII, §. 36: καὶ ποτέ υἱν στυφελιζομένου σκύλακος παριόντα φασὶν εποικτεῖραι, καὶ τότε φάσθαι ἔπος: Παῦσαι, ἠδὲ ῥάπιζ'· ἐπειὴ φίλου ἀνέρος ἐστὶ ψυχὴ, τὴν ἔργων φθερξαμένης αἰών. Sed quamvis talia vulgari hominum sensui et olim deliramenta visa sint et nunc non minus fortasse videantur, tamen haec Pindarum nunquam impediverunt, quominus illius philosophiae principalia effata sapientissima et pulcherrima iudicaret.

5. Pindarum in pulcherrimo Threni fragmento apud Plat. Menon. p. 81<sup>b</sup> satis  
clare de peccato primigenio disserere, pro quo vel sanctissimorum  
hominum animis poenae luendae sint.

Extat igitur locus inprimis luculentus ex Pindari aliquo threno desumptus, quem, ut ingeniose Boeckhius ad Pindari fragmenta p. 624, lin. 16 suspicatur, in Gelonis, regis

Syracusarum, qui anno Ol. 75. 3 (478/77 a. Chr.) decessit, honorem poeta composuerat. Haec coniectura maxime eo commendatur, quod mira quaedam huic fragmento similitudo intercedit cum carmine Olympico II anni 476, quo Theronem Pindarus celebrat et consolatur, in quo carmine manifesta inest Gelonis, Theronis generi et quamdiu vixit, Theroni carissimi, nuper vero mortui atque in heroum numerum relati, memoria, conf. Boeckh. Explicatt. p. 121, lin. 4. Pindarus igitur in hoc fragmento, cuius nobis Plato copiam fecit in Menone p. 81<sup>b</sup>, hasce pectoris sui pulcherrimas visiones eloquitur. Nos omnes mortales cladis illius priscae luctuosaeque (παλαιοῦ πένθεος), quae quondam huius nostrae in terris peregrinationis origo fuit, poenas luimus. Ac longe plurimis quidem diuturna migratio per multas generationes et mortes exhaurienda est. Sed sunt electae quaedam animae, a quibus maturius, quam a reliquis Proserpina poenas ut solutas accipit. Eas illa post octo iam annorum spatium sursum rursus in hominum consortium dimittit, ubi reges venerandi fiunt aut viri sapientia et fortitudine insignes, quo cursu absoluto in heroum denique numerum recipiuntur. Extant apud Platonem in Menone p. 81<sup>b</sup> (Bergk, Poet. Lyr. Gr. I<sup>4</sup>, 428) hinc Pindari pulcherrimi versus: οἷσι δὲ Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος || δέξεται. ἐς τὸν ὑπερθεὺν ἄλιον κείνων ἐνάτω ἔτει || ἀντιδοῖ ψυχὰς πάλιν, || ἐκ τὰν βασιλῆες ἀγαοὶ καὶ σθένει κραιπνοὶ σοφία τε μέριστοι || ἄνδρες αὔξοντ'· ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες ἀγροὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται. In his antiquus maeror (παλαιὸν πένθος), cuius, ut ait Pindarus, poenas Proserpina tanquam solutas accipit, peccatum haud dubie primigenium est, quod euphemismo usus poeta πένθος vocat. Ex hoc enim peccato summus luctus oritur, quoniam anima in hoc corpus tanquam in aliquod sepulcrum abscondita est; Plat. Crat. p. 400<sup>c</sup>: τὸ σῶμα λέγεις; . . . καὶ γὰρ σήμ' αὐτὸ εἶναι τῆς ψυχῆς, ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι.

6. Pindarum, cum Proserpinam ab animis mortuorum exorari oportere dicit, Orphicorum inventa sequi; cum animas sanctorum post octo annos sursum dimitti docet, ad instituta Delphica se applicare.

Deinde quod Pindarus in illo fragmento dicit: Proserpinam ab animabus illis pietate conspicuis poenas ut solutas accipere: οἷσι Φερσεφόνα ποινὰν δέξεται, id ex media Orphicorum theologia petatum est. Nam secundum Orphicos Iuppiter deis nonnullis, rerum apud inferos praesidibus et dominis, hanc potentiam tribuit, ut nullus e mortalibus ex fatali migrationis per varia corpora orbe solvi possit, qui non illa numina exoravisset; de quo Orphicorum placito cognitu dignissimus est locus apud Simplicium ad Aristotelem de caelo I. I (ed. Karsten p. 168<sup>b</sup> 23): ἐνδεθῆναι δὲ ὑπὸ τοῦ . . . δημιουργοῦ θεοῦ ἐν τῷ τῆς εἰμαρμένης καὶ γενέσεως τροχῷ. οὐπὲρ ἀδύνατον ἀπαλλαγῆναι, κατὰ τὸν Ὀρφέα, μὴ τοὺς θεοὺς ἐκείνους ἰλεωσάμενον, οἷς ἐπέταξεν ὁ Ζεὺς “κύκλου τ' ἀλλύσαι καὶ ἀναψῦξαι κακότητος” τὰς ἀνθρωπίνων ψυχῶν. Denique illud quoque in threni Pindarici fragmento explicatione eget, quod Proserpina virorum vere piorum et sanctorum animas post octo annos absolutos

## VIII

nono deinde sursum ad solis lucem dimittit: κείων ἐνάτω ἔτει ἀνδιδοῖ ψυχὰς πάλιν. Huius annorum numeri caussam optime O. Muellerus in commentario ad Aeschyli Eumenides (Gottingae, 1833) p. 143 docuit repetendam esse ex octaeteridis Delphicae sollemni spatio. Octaeteridis cyclus, in cultu Delphico celebratissimus et sacrorum temporum canon atque fundamentum, in criminum quoque expiatione sacratam quandam vim habet. Narrabatur in ἱερῶ λόγῳ Delphorum, Apollinem ipsum post draconis caedem per “magnum annum” apud Admetum servitutem servisse; Plutarch. Amator XVII, 18: Ἀδμήτῳ πάρα θητεῦσαι μέγαν εἰς ἐνιαυτόν. conf. O. Mueller, Doriens. I<sup>2</sup>, 325. Deinde Herculem notum est per annum magnum et unum mensem Eurystheo audientem fuisse, quo spatio clarissima per orbem terrarum certamina exantlaverit: Apollodorus 2, 5, 11, 1: τελεσθέντων δὲ τῶν ἄθλων ἐνὶ μηνὶ καὶ ἔτεσιν ὀκτώ. O. Muellerus acutissime perspexit, unum illum mensem satis festive superadditum nihil quidquam reconditi significare, sed mensem esse intercalarem postremum, quo octaeteris finiebatur.

7. Orphicorum de recurrentium generationum et funerum orbe placita cur Pindaro maxime placuerint. — Dogma Orphicum: animam caelitus a ventis in corpora deferri, religionem Atticam Tritopatorum redolere.

Unum igitur est, quod pro certo nunc pronuntiare licet: Pindarus Orphicorum illud inventum de peccato quodam primigenio, propter quod ex superiore vita et ex deorum coetu animae nostrae in huius terrae triste exilium deiectae sint, ut pretiosissimum aliquem thesaurum in pectus suum recepit et carminibus suis propagavit. Iam hoc priore expedito de altero nunc huius philosophiae Orphicae et Pythagoreae principio videndum est, de orbe illo fatali (κύκλω), quo animas nostras in hanc terram relegatas circumvolvi illi dicunt eum in modum, ut novis semper generationibus in corpora ingrediantur, novis semper funeribus ad inferos descendant, donec, si modo unquam id consequantur, ab omni labe purgatae in illas sedes beatorum et ad eam felicitatem redeant, de qua tam pulchre Pindarus dixit (Stob. flor. 103, 6): εὐδαιμόνων δραπέτας οὐκ ἔστιν ὄλβος. Iam primum de his priscorum vatum et philosophorum decretis si in universum iudicandum sit: nonne haec quoque sublimi quadam simplicitate praedita ingentem ad virtutem amandam impetum continent? Quae quaeso unquam Peripateticorum Academicorum Stoicorum minutissimae in dialecticis subtilitates et elegantiae tam efficaces fuerunt ad virtutem excitandam, quam haec simplicia effata, quae caelestium rerum et divinae aerae desiderio animas humanas implebant, quae oculos hominum in illius caelestis patriae imagine defixos tenebant, neque unquam dextrorsum sinistrorsumve ad terrae blandas fraudes et lenocinia aberrare patiebantur? Hi sunt profecto illi Sirenium cantus, qui Pindarum ceperunt, cuius anima ipsa quoque caelestem illam patriam unice intuebatur. Haec sunt illa divini potus pocula, quibus pectus ille suum irrigare cupiebat. Haec alta voce clamabant: sursum corda!

Iam cum in universum constet, cur his philosophis Pindarus dextram ad foedus porrexerit, de singulis nunc huius thesauri margaritis videndum est. Hoc tanto magis necessarium, quod cum in ipsis principiis illi sapientiae gubernatores concordēs sint, in singulis suum unusquisque genium sequuntur. Nec Pindarus otiosus est huius pacati certaminis spectator: immo ipse quoque in subtilissimis quibusdam definitionibus suo quodam proprio itinere incessit.

Itaque ut rite ab initio exordiamur, primum Orphici illum animarum nostrarum in haec corpora terrestria ingressum atque introitum dulcissimis quibusdam tabulis circumvestierunt, quas minime illi temere finxerant, sed e popularis religionis quasi prae studiose decerpserant. Praedicabant igitur illi: animas humanas a mente divina seiunctas a ventis in terram adferri et respirando in corpora recipi. Aristot. de anima I. 5 p. 410<sup>b</sup> 28: τοῦτο δὲ πέπονθε καὶ ὁ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς καλουμένοις ἐπέσι λόγος· φησὶ γάρ, τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ οὐλοῦ εἰσιέναι ἀναπνεόντων, φερουένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων. Iamblichus apud Ioann. Stob. Ecl. I. 41 p. 870 init. ed. Heeren: ἀναπνεόντων ἡμῶν φερουένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων. Iam vero simile quid, unde Orphicos mutuum haec accepisse apparet, apud Atticos antiquissima religione traditum propagabatur. Athenis Τριτοπάτορες colebantur, ventorum numina, quos in nuptiarum sollemnibus invocare mos erat. Hesych. s. v. τριτοπάτορας ἀνέμους· ἐξ Ὀυρανοῦ καὶ Γῆς γενόμενους καὶ γενέσεως ἀρχηγούς. Luculentissimus vero de his numinibus locus est. Phanolemi etiam nomine insignis, apud Suidam s. v.: τριτοπάτορες· Φανόδημος . . . ἐν ἐκτῷ φησὶν, ὅτι υἱοὶ Ἀθηναῖοι θύουσι τε καὶ εὐχονται αὐτοῖς ὑπὲρ γενέσεως παίδων, ὅταν γαεῖν μέλλωσιν. ἐν δὲ τῷ Ὀρφείῳ φυσικῷ (de quo opere conf. Lobeck, Agl. p. 753 et Abel. Orphica p. 251) ὀνομάζεσθαι τοὺς τριτοπάτορας Ἀιακλεῖδην καὶ Πρωτοκλέα καὶ Πρωτοκλέοντα, θυρωροὺς καὶ φύλακας ἄντας τῶν ἀνέμων. Schol. Od. κ. 2, p. 331 med. ed. Buttm.: τούτου ἕνεκα εὐθεύσαντο αὐτὸν εἶναι δεσπότην τῶν ἀνέμων, ὁμοίως δὲ καὶ τὸν Ἀιακλεῖδην καὶ Πρωτοκλή καὶ Πρωτοκλέοντα. Praes Atheniensium, quibus ventos foecundantes frugibus tuendis invitabant, pulchre illustrat Proclus ad Tim. II p. 68<sup>f</sup> (p. 153 ed. Schneider): δημιουργικὴ γάρ ἐστιν εὐχὴ καὶ καθαρτικὴ καὶ ζωποιοῦς· δημιουργικὴ μὲν, οἷον ὑπὲρ ὄμβρων καὶ ἀνέμων· οἱ γὰρ δημιουργοὶ τῆς τούτων αἰτίοι γενέσεως, καὶ αἱ τῶν εὐδιεινῶν ἀνέμων εὐχαὶ παρ' Ἀθηναίοις πρὸς τούτους ἐρίνοντο τοὺς θεούς. cf. Lob. Agl. p. 760 extr.

8. Orphici quomodo animam ad corpus alligatam finxerint. Orbis, quem eidem vocant, naturam eo contineri, quod inter funus et novam generationem certa intervalla constituta sint.

Deinde quae porro ab Orphicis traduntur, haec sunt. Anima in corpus recepta vinculis quasi constringitur; etenim nascitur et crescit una cum anima rete illud artificiosissimum, quod nervorum, venarum, arteriarum nexibus continetur; quare sensu reconditiore illud dictum est, quod docuit Pythagoras apud Diog. Laert. VIII. §. 14: τὴν ψυχὴν

... ἄλλοτε ἄλλοις ενδείσθαι ζῷοις. De Orphicis Aristoteles testis est de generat. animal. II. I. p. 734<sup>a</sup> 18: ὡσπερ ἐν τοῖς καλουμένοις Ὀρφείως ἔπεσιν· ἐκεῖ γὰρ ὁμοίως φησὶ γίγνεσθαι τὸ ζῷον τῇ τοῦ δικτύου πλοκῇ. In magna Orphicorum carminum mole unum fuit, cuius auctorem vulgo aut Brontinum aut Zopyrum celebrabant, cui titulus erat: πέπλος ἢ δίκτυον. Suidas s. v. Ὀρφεύς. Hoc opus rectissime Lobeck, Agl. p. 381 suspicatur vivom illud rete explicuisse, quod ipsa rerum natura mater in hominum corporibus fabricatur. Eodem titulo usus est Dionysius Aegeensis medicus, qui corporis humani et generationem et universam officinam enarraverat; Photius cod. 185 (p. 129 ed. Bekker): βιβλιδάριον Διονυσίου Αἰγέως, δικτυακῶν ἐπιγραφῆν ἔχον, ἐν ᾧ κεφάλαια περιείληπτο τὸν ἀριθμὸν ρ', πρῶτον ὅτι ἐξ ἀμφοτέρων ἢ τοῦ σπέρματος καταβολὴ καὶ ζωογονία κτλ. conf. Lobeck p. 381. Collocata igitur et constituta in corpore tanquam in domicilio suo anima, iam incipit fatalis illa necessitas, qua orbis ille, vel, ut a nonnullis vocatur, rota circumvolvitur iteratarum et alternantium inter se generationum et funerum, quaeque post certa semper intervalla animas mortuorum in hominum rursus et huius vitae rerum consortium adscendere cogit. Plato Phaedone p. 70<sup>c</sup>: παλαιὸς μὲν οὖν ἔστι τις λόγος, οὗ μνησθήμεθα, ὡς εἰσὶν (αἱ ψυχαὶ) ἐνθένδε ἀφικόμεναι ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνούνται καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων. Diog. La. VIII, § 14 de Pythagora: πρῶτόν τε φασι τοῦτον ἀποφῆναι τὴν ψυχὴν κύκλον ἀνάγκης ἀμείβουσαν ἄλλοτε ἄλλοις ενδείσθαι ζῷοις. Proclus ad Plat. polit. p. 696 (p. 116 ed. Schoell): (Ὀρφεύς) λέγει . . ., ὅτι τοὺς βίους ἀμείβουσιν αἱ ψυχαὶ κατὰ δὴ τινὰς περιόδους καὶ εἰσδύονται ἄλλαι εἰς ἄλλα σώματα πολλάκις ἀνθρώπων. Vocabula ad ferreae huius necessitatis legem designandam sollemnia sunt: κύκλος τῆς γενέσεως Procl. Tim. V, 330<sup>a</sup> p. 802, lin. 1 ed. Schneider); ἐν τῷ τῆς εἰμαρμένης . . . τροχῷ (Simplic. ad Arist. de coelo ed. Karsten, Traiect. ad Rhen. 1865, p. 168<sup>b</sup> 25); Ἀδραστείας θεσμός (Plat. Phaedr. p. 248<sup>c</sup>; Philostrat. Vit. Apoll. VIII, 7, 4 p. 308, 12 ed. Kayser 1870).

9. Philosophiae de migratione animarum principes plurimum inter se discordare in intervallorum, quibus animae apud inferos degunt, amplitudine definienda.

Expenduntur Platonis et Orphicorum super ea re placita.

Nunc igitur ut eius theologiae, quae in egregio palingenesiae invento illustrando versatur, plenam imaginem exhibeamus, leges illas, quibus ex illorum philosophorum opinione omne animarum apud inferos commercium circumscriptum fuit, accuratius contemplemur. Ac primum quidem, quae exoritur, quaestio est de intervallis illis, quibus bina vitarum spatia inter se dirempta sint, per quae apud inferos animabus degendum est. Plurimum enim refert scire, quam ampla, quam late potentia illa fuerint. Ac Platonem quidem notum est, spatium inter funus et novam generationem mille annorum statuisse. Ad hunc numerum simplicissimo calculo deductus est. Totus ille orbis, quo secundum Platonem post pinnulas amissas animae peregrinandum est, quo absoluto demum

pinnulas rursus generare potest. decem milia annorum complectitur; Plat. Phaedro p. 248<sup>e</sup>: εἰς μὲν γὰρ τὸ αὐτὸ, ὅθεν ἦκει ἡ ψυχὴ ἐκάστη, οὐκ ἀφικνείται ἐτῶν υυρίων· οὐ γὰρ περοῦται πρὸ τοσούτου χρόνου. Unicuique vero animae antequam ad hunc maturitatis gradum perveniat, decem vitarum stadia percurrenda sunt; quare inter binas vitas millenos annos interiectos esse necesse est. Plato Phaedr. p. 249<sup>b</sup>: τῷ δὲ χιλιοστῷ ἀυφότεραι (γρίαε et impρίαε) ἀφικνούμεναι ἐπὶ κλήρωσίν τε καὶ αἵρεσιν τοῦ δευτέρου βίου, αἰροῦνται ὄν ἂν εθέλη ἐκάστη. p. 249<sup>a</sup>: τρίτη περίοδω τῇ χιλιετεί, et Plat. pol. p. 615<sup>a</sup>: εἶναι δὲ τὴν πορείαν χιλιέτη. Platonis enarrationem pulchre expressit Vergilius Aen. VI, 748: *Has omnes, ubi mille r' tam pottere per annos.* *Lethaeum ad fluvium deus vocat agmine magno. Scilicet immemores supera ut convexa revisant, rursus et incipient in corpora velle reverti.* Huius tam longi mille annorum spatii ea caussa est, quod deciens tantundem unamquamque animam mercedis accipere oportet pro eis, quae in hac vita commeruit; Plat. pol. p. 615<sup>a</sup>: ὑπὲρ ἀπάντων δικην δεδωκέναι ἐν μέρει. ὑπὲρ ἐκάστου δεκάκις . . . ἵνα δεκαπλάσιον τὸ ἔκτισμα τοῦ ἀδικήματος ἐκτινοίεν . . . καὶ αὐ εἴ τις εὐεργεσίας εὐεργετηκότες . . . εἶεν, κατὰ ταῦτὰ τὴν ἀζίαν κοιζοῖντο. Atque, quod mirere, ne eae quidem animae, quae brutorum animalium corpora in vita gestarunt, velut aquilae, ut Agamemnonis, leonis, ut Aiacis, cyni, ut Orphei, Iusciniæ, ut Thamyræ, (Plat. pol. p. 620) ab hac mille annorum rationis reddendae lege immunes sunt, quod diserte a Platone traditur ib. p. 620: ἰδεῖν δὲ καὶ (loquitur Er, Armenii filius) κύκνον μεταβάλλοντα εἰς ἀνθρωπίνου βίου αἵρεσιν, καὶ ἄλλα ζῶα υουσικὰ υσαύτως.

Quom igitur Plato illa mercedis accipiendae tempora tam ampla constituerit, vestustiores theologi, Orphici et Pythagorei, longe angustioribus finibus ea circumscripserunt. Hoc de Orphicis facile colligitur ex iteratarum generationum crebritate, qua fit ut eadem anima in eadem domo modo patris, modo filii, modo matris, uxoris vel filiae loco comparere possit; Proclus ad Plat. pol. p. 116 ed. Schoell: οἱ δ' αὐτοὶ πατέρες τε καὶ υἱεὲς ἐν μεγάροισιν ἑὺκοσμοὶ τ' ἄλοχοι καὶ υητέρες ἠδὲ θύγατρεις ἴγγοντ' ἀλλήλων μεταυειβουένησι γένεθλας. Ac brutorum etiam animalium corpora secundum Orphicos satis frequenti iteratione ab animabus habitari solent, quemadmodum Proclus significat ibid.: οὐνεκ' ἀυειβουένη ψυχὴ κατὰ κύκλα χρόνοιω ἀνθρώπου ζῶοισι υετέρχεται ἀλλόθεν ἄλλοις· ἄλλοτε μὲν θ' ἵππος, τότε γίνεται [ἀυφίκερως βοῦς supplevit Usenerus] ἄλλοτε δὲ πρόβατον, τότε δ' ὄρνεον αἰνὸν ἰδέσθαι. ἄλλοτε δ' αὐ κύνέον τε δέμας φωνὴ τε βαρεῖα, καὶ ψυχρῶν ὀφίων ἔρπει γένος ἐν χθονὶ δῆ. His inter se comparatis Orphicos aliquanto breviori modulo illa intervalla duarum vitarum mensos esse, conicere licet; attamen ab altera parte cavendum est, ne nimium ea breviam nobis fingamus, nam apud Orphicos quoque iusta et plena bene vel prave in vita factorum merces inter principalia philosophiæ postulata est; Proclus ad Plat. pol. p. 117 ed. Schoell de Orpheo: τὰς μὲν ἀνθρωπῖνας ψυχὰς βούλεται χωρεῖν εἰς τὸν ὑποχθόνιον τόπον καθάρσεως ἔνεκα καὶ κολάσεως καὶ εἰς τὰ δεσυωτήρια τῆς τίσεως . . . , μέχρις ἂν εἰς ἄλλα σώματα πάλιν ἐνδεθῶσιν. Similiter priorum et iustorum virorum post mortem praemia: clarissimae in florentissimis pratis commorationes, paullo hercle amplius ac non nimis angustum quietis et recreationis spatium sibi

poseunt. Pulcherrimi carminis Orphici versus de beatorum praemiis servati sunt apud Proclum ib. p. 117: οἱ μὲν τ' εὐαρέωσιν ὑπ' αὐτὰς ἡελίοιο. || αὐτὶς ἀποφθίμενοι μαλακώτερον οἶτον ἔχουσιν || ἐν καλῷ λειμῶνι βαθύροον ἀμφ' Ἀχέροντα. Diodorus Sicul. I, 96, 5 ut rem decantatam memorat ex Orphei poesi: τὰς . . . τῶν ἀσεβῶν ἐν Ἄιδου τιμωρίας καὶ τοὺς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας.

10. De tempore apud inferos "inter duas vitas" gravissimum et permiram primo adpectu Pindarum sententiam hanc proponere Ol. II, 63: defunctorum animas delinquere posse, atque ea delicta supra in terra puniri, sicut delicta supra terram admissa apud inferos.

Cum igitur de eadem re duo contraria philosophorum decreta invenerimus, Platonis, qui quam amplissima illa intervalla commentus est, et Orphicorum, qui quam brevissima illa fingunt, magni nunc momenti erit scire, quid super hac re Pythagoreis placuerit. Sed iam antequam id expediamus paullisper subsistamus. Nam cur haec quaestio tam gravis sit, aperiendum est. Etenim pendet ab hac de intervallorum apud inferos magnitudine quaestione altera multo gravior haec: num ea fuerit animarum apud inferos conditio, ut delinquere potuerint; num fieri potuerit, ut in illa apud inferos commoratione iustae ac piae animae felicitate ipsa corruptae mutato rursus cursu ad peccata relaberentur, impiae vero et iniustae assumpta contumacia peiores etiam fierent. Ab hisce quaestionibus recte diiudicandis pendet magnifici cuiusdam et eximii apud Pindarum loci recta explicatio, quo is suam de generationum orbe, de defunctorum — mirabile dictu — peccatis, denique de mutua omnino huius vitae et vitae post mortem ratione proposuit. Ol. II, 61 ed. Christ: ὁ μὲν πλοῦτος . . . ἐτυμώτατον || ἀνδρὶ φέρρος· εἴ γέ νιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον, || ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτὶκ' ἀπάλαμνοι φρένες || ποινας ἔτισαν. τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχῇ || ἀλιτρά κατὰ γὰς δικάζει τις ἔχθρᾷ || λόγον φράσαις ἀνάγκη. Hoc loco quid quaeso aliud Pindarus enarrat, nisi hoc: ab defunctis apud inferos delicta admitti, pro quibus deinde in nova supra terram vita poenae ab eis exigantur: v. 63: θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτὶκ' ἀπάλαμνοι φρένες ποινας ἔτισαν. Habemus igitur apud Pindarum novam quandam et plane singularem orbis illius in Orphicorum et Pythagoreorum philosophumenis sollemnis definitionem hanc: ut vicissim defunctorum apud inferos delicta post novam generationem hic in terra, viventium in hoc Iovis regno maleficia (v. 64: τὰ ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχῇ ἀλιτρά) apud inferos poenas pendant. Atque ita eius verba rectissime Aristarchus intellexit in Scholiis Pind. ad Ol. II, 102 p. 75 extr.: Ἀρίσταρχος ἐξηγεῖται οὕτως· εἴ τις οἶδε τὸ μέλλον, ὅτι ποιήν τίνουσιν οἱ ἐν Ἄιδου παρανομήσαντες. ὁ γὰρ λόγος ὡς τῶν αὐτῶν πλεονάκις ἀναβιούντων καὶ ἐνθάδε ἢ καὶ ἐκεῖ δικας διδόντων τῶν ἀμαρτημάτων. Eadem explicatio recurrit paullo infra, ubi nomen Aristarchi intercidit, verba et sententiae eiusdem haud dubie auctoris sunt; Schol. Pind. Ol. II, 104, p. 76 post med.: τῆς κατὰ Πυθαγόραν παλιγγενεσίας αὐτὸν μνημονεύειν· τὰς γὰρ ψυχὰς



εις ἕτερα σώματα ενδυνουσας αναεουσθαι, ωστε οσοι μεν υπερ τῆς οντες επλημελουν, τούτους εν Ἄιδου δίκην υπέχειν. ὅσοι δὲ ανάπαλιν εν Ἄιδου ενεωτέρωσαν, υπερ τῆς τινόμενοι δίκας τίνουσιν. Cum igitur constet Pindarum docuisse, defunctorum animas in locis inferorum et posse delinquere et solere, iam quomodo id fieri potuisse Pindarus sibi persuaserit, eruendum est. Id ut via et ratione perfici possit, redeundum nunc paullisper est ad eam quaestionem unde digressi sumus: quid Pythagorei de intervallorum illorum, quae inter duas vitas interposita sunt, magnitudine docuerint. Haec vero quaestio omnis nititur iucundissimis et suavissimis illis narrationibus, quibus ipsius Pythagorae, scholae parentis, iteratae generationes et in hominum consortium reversiones a discipulis ipso iam prae-eunte exornatae sunt. De eis igitur quid veteres tradiderint, examinandum nunc erit.

II. Pythagoreorum de rebus apud inferos placita optime cognosci e fabulis de iteratis Pythagorae generationibus. De prima eius in hac vita commoratione, qua Aethalides Argonauta fuit.

Ac Pythagoras quidem ceteris mortalibus ea re praestabat, quod Mercurii, ante multa saecula in prima generatione patris sui, dono, qualis et qui ante hanc vitam et vivus et mortuus olim fuisset, clare et distincte recordabatur; Iamblichus vita Pyth. §. 63: ἐρίγνωσκε τοὺς προτέρους ἑαυτοῦ βίους. Diog. La. VII §. 4: ζῶντα καὶ τελευτῶντα μνήμην ἔχειν τῶν συβαινόντων. Hac facultate plurimum adiutus reliquorum quoque hominum institutionis exordium inde semper capiebat, ut eos superiorum suarum vitarum gradatim progrediendo magis magisque admoneret; Iambl. ibid.: τῆς τῶν ἄλλων επιμελείας ἐντέυθεν ἤρχετο, υπομνησκων αὐτοὺς ἧς εἶχον πρότερον ζωῆς. Omnium vero generationum, quarum omnino memoriam renovare potuit, prima ea fuit, qua aetate olim Argonautarum lucem adspexit. Primum enim praestantissimae illius animae in hac terra domicilium corpus fuit Aethalidae, Mercurii et Eupolemiae filii (Apollon. Rhod. I, 54), qui in Argonautarum coetu honorifico praeconis munere ut patrio et hereditario functus est. De Aethalida luculentus est locus apud Apollonium Rhodium I, 640, quo et divinae originis, et singularis viri memoriae, quae ne apud inferos quidem unquam extincta sit, exquisita mentio extat: τείως δ' αὐτ' ἐκ νηὸς ἀριστῆες προέηκαν Αἰθαλίδην κήρυκα θοόν, τῷ πέρ τε υέλεσθαι ἀγγελίας καὶ σκῆπτρον ἐπέτρεπον Ἐρμείῳ, σφωιτέροιο τοκῆος, ὅς οἱ μνήστιν πόρε πάντων ἀφθιτον· οὐ δ' ἔτι νῦν περ ἐποικουένου Ἀχέροντος δίνας ἀπροφάτους ψυχὴν ἐπιδέδρομε λήθη. In sequentibus, quae apud Apollonium leguntur, explicandis minime cum scholiasta de Heteremeria quadam Aethalidae cogitarim: ait enim ille ad v. 646: Αἰθαλίδης . . . ἑτερήμερος, ὡς φησιν, ὥστε μίαν μεν ὑπὸ τὸν Ἄιδην, μίαν δὲ υπὲρ τὴν [τῆν] ημέραν διάγειν. Immo spectant hi versus ad notissimam fabulam de animae Pythagorae, quae eadem Aethalidae anima fuit, migrationibus, quibus factum sit ut, salva semper factorum suorum conscientia, modo supra terram, modo sub terra commoraretur: Apollon. I, 646: ἄλλ' ἤτ' (i. e. ψυχὴ) ἔυπεδον αἰέν

αιετουμένη κευόρηται ἄλλοθ' υποχθονίοις ἐναρίθμιος, ἄλλοθ' ἐς αὐτὰς ἡελίου ζωῖσι κευ-  
 ανδράσιν. ἀλλὰ τί μύθους Αἰθαλίδew κρειώ με διηνεκέως ἀγορεύειν; ὅς ῥα τόθ' Ὑπιπύλῃν  
 κειλίξαστο δέχθαι ἰόντας.

12. In sequentibus duobus animae Pythagoreae inter homines deverticulis,  
 in Euphorbo et Hermotimo Clazomenio, id notabile esse,  
 quo ambo immatura morte occiderunt.

Aethalida defuncto post satis brevem apud inferos commorationem — nam ab Argonautarum expeditione bellum Troianum una hominum aetate remotum est — Pythagorae anima secunda generatione in Euphorbi, Panthoi filii, corpus introiit, qui in ipso iuventutis flore et robore a Menelao interemptus (Il. ρ, 51) Homerum sortis suae praeconeum invenit. Hos pulcherrimos Homeri versus Pythagoras tanquam epithaphium sibi destinatum libenter et commotissimo semper animo recitare vel ad lyram canere solitus erat, uti refert Iamblichus Vit. Pythag. §. 63: καὶ τῶν Ὀμηρικῶν στίχων μάλιστα ἐκείνους ἐξῆυνει καὶ μετὰ λύρας ἐμμελέστατα ἀνέμειπε καὶ πυκνῶς ἀνεφώνει τοὺς ἐπιταφίους ἑαυτοῦ· αἰματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι κτλ. Pythagoras vero cur ex omnibus heroibus Homericis Euphorbum potissimum tanquam alterum se salutaverit et eum potissimum eadem anima usum esse opinatus sit, optime explicuit O. Muellerus, Doriens. P<sup>2</sup>, 221. In Panthoi domo Apollinis apud Troianos sacerdotium hereditarium fuit; Vergil. Aen. II, 430: *ne te plurima, Panthu, Labentem pictas, nec Apollinis infula texit*. Polydamantem, alterum e Panthoi filiis, Apollo in proelio omni studio tuetur Il. σ, 521: οὐ γὰρ Ἀπόλλων εἶα Πάνθου υἱὸν ἐνὶ προιάχοισι δαμῆναι. Pythagoras vero Apollinem ut mirificum rerum suarum patronum colere solebat, cum quo intimo quodam caritatis vinculo coniunctus esset; conf. Iambl. ib. §. 8. Posteaquam anima illa nobilissima e Panthoidae Euphorbi corpore immaturo fato discesserat, post temporis iterum haud ita longum intervallum tertia generatione (atque omnino usque ad Pythagoram quinque eiusmodi gradus ab Aethalida numerabantur) in Hermotimi Clazomenii speciem ingressa est, qui Euphorbum se aetate superiore fuisse, ea re demonstravit, quod in Branchidarum aede Apollinis sacra confestim suspensum ibi in pariete clypeum agnovit, quem sibi, i. e. Euphorbo, olim inter spolia ereptum Menelaus Apollini dedicavisset; Diog. La. VIII, §. 5: ἐπειδὴ δὲ Εὐφορβος ἀποθάνοι, κευαβῆναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς Ἐρυότιον, ὅς καὶ αὐτὸς πίστιν δοῦναι θέλων κευανῆλθεν εἰς Βραγχίδας· καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν, ἐπέδειξεν ἦν Μενέλαος ἀνέθηκεν ἄσπιδα. conf. Porphyr. Vit. Pyth. 45. De Hermotimo multorum scriptorum ore voluta est fabula satis mirifica: eius animam per intervalla e corpore expatiari solitam in remotas terras accessisse quaeque ibi comperit, nuntiasse; Plin. nat. hist. VII, §. 174: *referimus inter exempla Hermotimi Clazomenii animam relicto corpore errare solitam vagantque e longinquo multa adnuntiare, quae nisi a praesente nosci non possent, corpore*

*interim semianimi, donec cremato eo inimici, qui Cantharidae vocabantur, remcanti animae veluti vaginam ademerint.* Lucian. muscae encom. 7: τὸν περὶ Ἑρμοτίμου τοῦ Κλαζομενίου μῦθον, ὅτι πολλάκις ἀφιεῖσα αὐτὸν ἡ ψυχὴ ἀπεδήμει καθ' ἑαυτὴν, εἶτα επανελθοῦσα ἐπλήρου αὐθις τὸ σῶμα καὶ ἀνίστα τὸν Ἑρμότιμον.

13. In schola Pythagorea canonem quinque Pythagorae inter homines reversionum sollemniter propagatum fuisse. Eo numero quomodo Ennius poeta, philosophiae Pythagoricae cultor, ad praenomen suum "Quinti" explicandum usus sit.

Post Hermotimi, ab inimicis interempti, obitum anima multum agitata sortem minus conspicuam, sed tutiorem sibi petiit; nam defunctorum animae libera semper voluntate novam vitae speciem eligunt; etenim, ut ait Plato pol. p. 617<sup>e</sup>: αἰτία ἐλομένου, θεὸς ἀναίτιος. Elegit igitur Pyrrhi piscatoris corpus, in quo habitaret, quem alii Delium, alii Cretensem perhibuerunt: quippe quae terrae ambae propter florentissimum ibi Apollinis cultum animae cum Apolline coniunctissimae gratae esse debuerint; conf. O. Muellerrum, Doriens. I<sup>2</sup>, 222, not. 2. De Pyrrho vero, cuius vita quartum Pythagorae inter homines hospitium fuit, multi sunt antiquitatis testes. Diog. La. VIII, §. 5: ἐπειδὴ δὲ Ἑρμότιμος ἀπέθανε, γενέσθαι Πύρρον τὸν Δῆλιον ἀλιέα. Schol. Soph. Electr. 62: πρὸ μὲν τῶν Τρωικῶν Αἰθαλίδης ὧν ὁ Ἑρμοῦ, εἶτα Εὐφορβος, εἶτα Ἑρμότιμος, εἶτα Πύρρος ὁ Δῆλιος. Ordinem paululum invertit Porphyry. Vit. Pyth. 45: πρῶτον μὲν Εὐφορβος λέγων γενέσθαι, δεύτερον δὲ Αἰθαλίδης, τρίτον Ἑρμότιμος, τέταρτον Πύρρος, νῦν δὲ Πυθαγόρας. Copiosissimus de Pyrrho Pyranthio (Πύρανθος oppidum est prope Gortynam, Steph. Byz. s. v.) testis est Gellius IV, 11, 55: *remotiora sunt his quae Clearchus et Dicacarchus memoriae tradiderunt, fuisse cum postea Pyrrhum Pyranthium, deinde Aethaliden, deinde feminam pulchra facie meretricem, cui nomen fuerat Alco.* In his quae postremo loco de meretrice dicta sunt, ad vanas illas luxuriantesque fabulas pertinent, quibus posterior aetas Pythagorae inter homines deverticula et peregrinationes puerilem in modum auxit et exornavit, cuius farinae ea quoque sunt, quae habet Scholiasta ad Apollon. Rhod. I, 645: Εὐφορβον εἶναι . . . ἔπειτα Πύρρον . . . εἶτα Ἥλειόν τινα, οὐ τὸ ὄνομα ἀγνοεῖται. In universum florente antiquitate sollemnis quidam quasi canon quinque Pythagorae μετεμψυχώσεων hominum consensu comprobatus videtur. De intervallorum temporibus, quibus haec inter homines Pythagorae deverticula inter se dirempta fuerint, locus gravissimus est apud Diog. La. VIII, §. 14, quo ipse philosophus narrat, septem et ducentos annos praeterlapsos esse, post quos nunc demum in hominum consortium denuo redierit: ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ γραφῇ φησι δι' ἑπτὰ καὶ διακοσίων ἐτέων ἐξ αἰδew παραγεγενῆσθαι ἐς ἀνθρώπους.

Iam postremo huic de Pythagorae in terra hospitii narrationi coronidis loco nunc mirificum et cognitu sane dignissimum Q. Enni poetae testimonium adiciamus, quo quinaris ille numerus sollemnis egregie confirmatur. Etenim Ennius — mirum dictu —

praenomen suum Quinti inde explicandum, docuerat, quod ipse a Pythagora quintus in migrationis animarum serie numeraretur. Tota res amabilissime ab ingeniosissimo poeta excogitata est. In prooemio enim Homerum patrem in somniis sibi obversantem finxerat, qui, quoniam illa anima salva semper memoria per saecula migrabat, animam quondam suam in pavone fuisse, Ennio narrasset: apud Charisium p. 75 ed. Putsch.: *memini me hunc pavom.* Tertullianus de anima 33 p. 1047 ed. Oehler: *Pavom se meminit Homerus Ennio somniante . . . Damnatus est igitur Homerus in pavom, non honoratus.* Pavonis vero illius animam, quae in Euphorbum, ex Euphorbo in Homerum, ex Homero denique in Ennium transisset, vetustissimis olim temporibus Pythagorae fuisse, quem Ennius ad nescio quam remotissimam antiquitatem relegarat. Totam rem satis perspicue explanat Scholiasta ad Persii versum hunc (Pers. VI, 10): *postquam destertuit esse || Maconides, Quintus pavone ex Pythagoreo,* qui haec adnotat: *ideo quintus dicit, propter eam opinionem, quae dicit animam Pythagorae in pavonem translata, de pavone vero ad Euphorbum, de Euphorbo ad Homerum, de Homero autem ad Ennium.* Ac de pavone quidem quae Ennius finxit, ea non omnia merus ingenii lusus videntur; immo ex vetustiore aliqua fama Pythagorica assumpta. Nam in patria Pythagorae insula Samo in Iunonis honorem greges pavonum ali solitos esse notum est: Athenaeus XIV p. 655<sup>a</sup>: *Μηνόδοτος δὲ ὁ Σάμιος ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ τὸ ἱερόν τῆς Σαμίας Ἑρας φησὶν: οἱ τοσοῦτοί ἐισι τῆς Ἑρας, καὶ ὑήποτε πρῶτιστοι καὶ ἐρένοντο καὶ ἐτράφησαν ἐν Σάμῳ καὶ ἐντεῦθεν εἰς τοὺς ἔξω τόπους διεδόθησαν.* conf. Varro de r. r. III, 6 p. 218 Bip., deinde Welcker, Griech. Goetterl. II. 323.

14. Orphicos et Pythagoreos secus atque Platonem non omnibus animabus idem commorationis apud inferos spatium constituisse, sed pro eis, quae in vita commeruissent, aut brevius aut porrectius,

Haec igitur philosophorum, quibus dogma de animarum migratione cordi fuit, effata si inter se comparemus, communem eorum sententiam hanc fuisse apparet: intervallorum inter binas vitas, id est inter funus et novam generationem, interiectorum spatia satis ampla et larga statui oportere, quibus plene et cum usuris, quod aiunt, rerum in superiore vita actarum ab animabus ratio reposci potuerit. Hoc enim in universum totius illius animarum migrationis summum propositum atque consilium fuit, a dis ipsis immortalibus constitutum, ut gradatim animae per saecula progrediendo et poenas solvendo tam ab prisca illa peccati primigenii culpa convalescerent, quam omnem labem in ipsa generatione contractam exuerent: quod pulchre Vergilius elocutus est Aen. VI, 745: *donec longa dies perfecti temporis orbe | concretam exemit labem purumque relinquit || aetherium sensum atque aurai simplicis ignem,* et Proclus ad Plat. Tim. V, 330<sup>a</sup> (p. 802 init. ed. Schneider): *φυγή πάντων τῶν ἐκ τῆς γενέσεως ἡμῶν προσπεφυκότων* et ibid. 330<sup>b</sup>: *ἡ περίοδος πᾶσαν . . . τὴν ζωὴν εἰς τὴν εὐδαίμονα περιάγουσα ζωὴν ἀπὸ τῆς περὶ τὴν γένεσιν πλάνης, ἧς καὶ οἱ παρ' Ὀρφεῖ*

τῷ Διονύσῳ καὶ τῇ Κόρῃ τελοῦμενοι τυχεῖν εὐχονται, κύκλου τ' ἄν λήξαι καὶ ἀναπνεῦσαι κακότητος. Ac Platonī quidem ad eam expiationem perficiendam mille demum annorum periodus sufficere visa est. Orphici longe breviori spatio contenti fuisse videntur. Mediam denique inter hos terminos viam Pythagorei tenuerunt. Praeterea unum observatione dignum est, in quo convenit Pythagoreis cum Orphicis. Hi ambo non unum semper idemque omnibus animabus spatium commorandi apud inferos praescripserunt, immo prout unaquaeque in vita aut bene aut male commorasset, aut breviorē ei aut porrectiorē commorationis apud inferos terminum sanxerunt. Hoc ex electissima quadam apud Servium disputatiuncula apparet, qua is ex uberrimo doctrinae fonte quasi guttulam nobis adpersit ad Verg. Aen. VI. 745: *quaeritur, utrum animae per apotheosin . . . possint mereri perpetuam vacationem; quod non potest fieri. Merentur enim temporis multi, non perpetuitatis: et quae male vixerunt, statim redeunt: quae melius, tardius: quae optime, diutissimo tempore sunt cum numinibus. Paucae tamen sunt, quae et ipsae exigente ratione, licet tarde, coguntur reverti.*

15. Pindari locum celeberrimum Ol. II. 63, qui paradoxon continet: animas pro delictis apud inferos commissis hic in terra plecti, quomodo antiqui iam interpretes pingui Minerva difficultate liberare studerint.

His ita constitutis ad Pindarum nunc redeundum est, qui in plerisque fere rebus Orphicorum et Pythagoreorum signa secutus in una eaque gravissima huius philosophiae parte singularem sententiam professus est. Nam loco illo celebratissimo, ubi de mutua ratione, quae huic in solis luce vitae cum illa umbrarum apud inferos intercedat, exponit, haec alta voce dicit: ambarum earum vitarum hoc esse vinculum, ut delicta illic admissa hic supra in terra poenas pendant; atque ea vicissim, quorum haec vita scaena fuerit, illic apud inferos plectantur; Pind. Ol. II. 63 ed. Christ.: οἶδεν τὸ μέλλον, || ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες || ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχῇ || ἀλιτρά κατὰ γᾶς δικάζει τις ἔχθρᾷ || λόγον φράσαις ἀνάγκη. Haec verba ponderosissima esse vel is, qui a limine tantummodo ea salutaverit, confitebitur. Sed confitendum simul est, ea quasi aenigma aliquod esse ex tripode Delphico editum, quod Oedipo enodatore egeat. Verba ipsa clara sunt, sed quid sibi velint, tam obscurum est, ut quo diutius de eis cogites, tanto incertiora omnia fiant. Quid enim quaeso hoc est, quod Pindarus dicit: quae defunctorum apud inferos animae deliquerint, eorum in hac vita eas poenas solvere? Num ea est umbrarum apud inferos conditio, ut delinquendi eis facultas, cupido vel otium omnino sit? Hi scrupuli iam antiquos interpretes in hoc loco explicando mirum quantum sollicitos tenuerunt, quorum pars, ut inauditum illud removerent, defunctorum animas apud inferos scelera committere, ita statuerunt: Pindarum in neutro eius sententiae membro de re recondita, immo in ambobus

## XVIII

de eodem scelere et suppliciorum genere et locis loqui, de hominum impiorum post mortem meritis suppliciis. Itaque structuram verborum in priore membro hanc esse censent: defunctorum contumaces in hac vita mentes (αἱ ἀπάλαμοι ἐνθάδε φρένες) apud umbras poenas pendere. Schol. Ol. II. 104 p. 76 extrem.: τὸ ἐνθάδε πρὸς τὸ ἀπάλαμοι συναπτέον. τὸ δὲ αὐτίκα πρὸς τὸ ἔτισαν οὕτως· αἱ ἀπάλαμοι καὶ βίγαιοι φρένες τῶν θανόντων, ἤρουν οἱ συκοφάνται καὶ οἱ πονηροὶ . . . αποθανόντες ποινὰς ὧν ἡμαρτον ἔτισαν καὶ ἀπέδωκαν ἐν Ἄιδου. et ibid. p. 76. med.: τῷ δὲ ἀπάλαμοι φρένες συναπτέον τὸ ἐνθάδε· ὅτι τῶν ἐνταῦθα ἀδίκων ἀπάλαμοι φρένες αὐτίκα καὶ εὐθέως τελευτησάντων ποινὰς καὶ τιμωρίας ἐκεῖ δεδώκασιν. Hanc explicationem propter speciosam quandam facilitatem et simplicitatem antiquorum interpretum chorus altera illa, quae defunctorum apud inferos delicta statuit, quae Aristarchi τοῦ πάνυ fuit, longe praestabiliorem iudicat. Triumphantia eorum verba, quibus huic invento plaudunt, fortasse lectu haud iniucunda videantur; Schol. Pind. Ol. II. v. 102 p. 75 extr.: ἔνιοι δὲ ἀπλοῦστερον ἀκούουσι τὸν λόγον οὕτως· εἰ ἔχων τις τὸν πλοῦτον οἶδεν, ὅτι ἐν τῷ ὑστέρῳ χρόνῳ αἱ αποθανόντες καθ' Ἄιδου δίκας διδῶσιν.

16. Loci Pindarici difficultas ea re augetur, quod talis plerumque animarum post mortem conditio fingitur, ut delinquendi eis nulla potestas relicta sit.

Sed haec explicatio, qua difficultas non tollitur, sed fuco tantummodo oblitur, nullo modo admitti potest. Pindarus enim tantum abest ut bis idem dicere sustinuerit, ut vel particulis uen et de positis gravem iam cogitatorum oppositionem indicarit. His recte, uti par fuit, perpensis Aristarchus nulla difficultate deterritus audacter pronuntiare ausus est: Pindarum re vera duplicis huius paradoxī auctorem extitisse: defunctos apud inferos delinquere posse et pro eis delictis cum nova generatione in hominum consortium redierint, poenas solvere. Schol. Pind. Ol. II. 102 p. 75 extrem.: Ἀρίσταρχος ἐξηγεῖται οὕτως· . . . ποινὴν τίνουσιν οἱ ἐν Ἄιδου παρανομήσαντες et ibid. v. 104 p. 76 init.: ὅτι οἱ μὲν ἐν τῷ ζῆν ἀμαρτάνοντες ἐν Ἄιδου κολάζονται, οἱ δὲ ἐν Ἄιδου ἐν τῷ ἡμετέρῳ βίῳ. Iam igitur ut via ac ratione disputatio nostra procedat, primum ea examinanda sunt, quae contra illam Aristarchi explicationem moneri possint, nam semper memorem esse oportet aureoli praecepti Aristotelei: primum subeundum esse τὸ ἀπορεῖν ut fructum deinde capere possimus τοῦ εὐπορεῖν. Atque ne quidquam dissimulemus, re vera concedendum est, philosophorum, qui migrationem animarum tuentur, omnino effata et placita talia esse, ut minime gentium favere videantur illi Aristarchi interpretationi. Nam in istis rerum apud inferos imaginibus tam tristis et infelix est animarum impiarum conditio, ut malefactorum admittendorum eis nulla neque copia, neque occasio, neque cupido, immo ne otii quidem ulla particula fuisse videatur. Impiorum enim animae post obitum confestim in illa cruciatuum loca abiguntur; Plat. Phaedr. p. 249<sup>a</sup>: εἰς τὰ ὑπὸ γῆς δικαιοτήρια ἐλθούσαι δίκην ἐκτίνουσιν. Orpheus in Tartarum eas ablegat apud Proclum

ad Plat. pol. p. 117 ed. Schoell: οἱ δ' ἄδικα ῥέξαντες ὑπ' αὐγὰς ἡελίοιο ὑβριστὰὶ κατάγονται ὑπὸ πλάκα Κωκυτοῖο Τάρταρον ἐς κρυόνετα. In Tartaro vero paludibus et caeno obrutae sunt peccatrices animae, ut ex Orphei carminibus narrat Plato in Phaedone p. 69<sup>c</sup>: κινδυνεύουσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὔτοι καταστήσαντες οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι σίνιπτεσθαι, ὅτι ὅς ἂν ἀούητος καὶ ἀτέλεστος εἰς Ἄιδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται. Plato vero ipse de mille annorum aerumnosissima peregrinatione apud inferos loquitur, quam impiorum animas exantlare oporteat; Plat. pol. p. 615<sup>a</sup>: οἷα πάθοιεν καὶ ἴδοιεν ἐν τῇ ὑπὸ γῆς πορείᾳ, εἶναι δὲ τὴν πορείαν χιλίετη. Haec igitur si reputemus et perpendamus, vix fieri posse videatur ut statum aliquem defunctorum animarum fingamus, in quo delinquendi eis facultas et copia ulla fuerit.

17. Pindari verba Ol. II, 63: θανόντων ἀπάλαυνοι φρένες intellēgenda esse de animabus, quae in magno palingenesiae certamine sensuum blandimentis obstrictae eligendi copia male utantur. Platonem in Politiae fine huic interpretationi mirum quantum favere.

Hoc testimoniorum agmine perlustrato quanto magis constat Pindarum in hac materia exornanda et expolienda ab illo superiorum philosophorum consensu paullulum recessisse et suo quodam proprio itinere ingressum esse, tanto magis nunc admitendum erit, ut in sapientissimi poetae, qui nil molitur inepte, quique nunquam inani tinnitui verborum indulsit, sensus et mentem nunc quam altissime fieri poterit, nos insinuemus et penetremus. Ac nulla profecto est de vero inveniēdo desperandi caussa. Pindarus cum de animarum migratione sensus suos intimos hoc effato praestantissimo elocutus est Ol. II, 63: ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαυνοι φρένες ποινὰς ἔτισαν, non de sceleribus apertisque flagitiis cogitavit, sed de dilectis illis humanae naturae peccatis, quae in medullis haereant, quaeque nullis neque deorum suppliciiis neque beneficiis extirpari possint. Huius vero pravitatis, quae tanquam venenum in animis grassatur, unum sane maximum et gravissimum apud inferos documentum est. Id eo specimine continetur, cum animae finita illa in inferorum sedibus peregrinatione in palingenesiae sublimi spectaculo ad novam rursus vitam eligendam vocantur. In hoc gravissimo negotio, in quo de futura nova vita praeiudicium fit, plurimorum hominum animae gravissime decipiuntur. Permultae enim blandis fraudibus captae et obstrictae, ambitionis et avaritiae stimulis agitatae, perniciosissima pro salutaribus eligunt ideoque ipsae sibi suis suffragiis poenarum acerbissimarum effectrices sunt. Hae igitur sunt illae apud Pindarum defunctorum perversae mentes propter quas in hac terra plectuntur et poenas pendunt Ol. II, 63: ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαυνοι φρένες ποινὰς ἔτισαν, ubi verba ἐνθάδ' αὐτίκα ultionis, qua illa perversitas punitur, properatam et inevitabilem praesentiam indicant.

Atque hunc vere Pindari, cum illa scriberet, sensum fuisse, luculenter Platonis

gemella plane disputatione in comparationem vocata comprobari potest. Nam Plato in extrema Politiae parte in sublimi et divina illa imagine, qua animarum, post mille annorum peregrinationem, primum sollemnem "in prato" congressum, deinde palingenesiam et reditum in novam vitam eodem penicillo pinxit, quo Michaelis Angelus Buonarrotti immortale illud supremum iudicium in aede sacra Sancti Sixti, Plato, inquam, eloquentissimum commentarium ad Pindari illum locum scripsit atque omnino persuasum mihi est, Platonem et hos Pindari versus et similes nunc deperditos ante oculos habuisse. Quae igitur Plato de magnifico illo palingenesiae spectaculo docet haec sunt. Plurimas longe animas ad gravissimum illum novae vitae eligendae negotium imparatissimas et alienissima mente, denique sensuum blanditiis et laqueis prorsus obstrictas eum in modum accedere, ut spectatorem misericordia perfundant. Plat. pol. p. 619<sup>e</sup>: ταύτην γὰρ δὴ, ἔφη, τὴν θεάν ἀξίαν εἶναι ἰδεῖν. ὡς ἕκασται ψυχὰι ἠροῦντο τοὺς βίους· ἐλεεινὴν τε γὰρ ἰδεῖν εἶναι καὶ γελοίαν καὶ θαυμασίαν. κατὰ συνήθειαν γὰρ τοῦ προτέρου βίου τὰ πολλὰ αἰρεῖσθαι. Quare unum est, quod Plato omnium animis indelebiter insculptum et infixum volt, ut in illis quoque inferorum sedibus summa semper vigilantia summaque in nosmet ipsi severitate caveamus, ne in postremo illo palingenesiae specimine fallamur, sed ut salvi potius et victores, quam victi et perditii discedamus. In nullo certamine tristius illud esse: Vae victis! Plat. pol. p. 619<sup>a</sup>: ἀδαμαντίνως δὴ δεῖ ταύτην τὴν δόξαν ἔχοντα εἰς "Αἰδοῦ ἰέναι, ὅπως ἂν ἦ καὶ ἐκεῖ ἀνέκκλητος ὑπὸ πλούτων τε καὶ τῶν τοιούτων κακῶν, καὶ μὴ ἐμπεσῶν εἰς τυραννίδας καὶ ἄλλας τοιαύτας πράξεις πολλά μὲν ἐργάσεται καὶ ἀνήκεστα κακά, ἔτι δὲ αὐτὸς μείζω πάθη. Itaque haec semper cantilena apud Platonem recurrit: ἔϋν νῦν ἐλέσθαι.

18. Animas eas, quae in sedibus beatorum fuerint, in nova palingenesiae sorte eligenda maxime periclitari, si consuetudine magis, quam ratione et philosophando innocentes fuerint. Id Pindarum voce ἀπάλαμος posita indicare.

Unum praeterea maxime notabile est, quod in hoc palingenesiae dogmate exorando atque expoliendo et Plato eximie vidit et Pindarus quoque, si verba ad aurificis stateram expendamus, statuit. Error et incuria in eligendo novae vitae simulacro (παράδειγματι) minime rerum in solos impios et consceleratos cadit, qui suppliciis potius edocti cautiore in eligendi negotio esse solent. Immo saepissime eos, qui propter innocentiam et pietatem in priore vita probatam in beatorum sedes recepti fuerant, vacillare videmus. Etenim ei ipsa lenitate sortis suae emolliti facilius titubare solent. Plato pol. p. 619<sup>d</sup>: οὐκ ἐλάττους εἶναι ἐν τοῖς τοιούτοις ἀλίσκομένους τοὺς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦκοντας, ἅτε πόνων ἀγυμνάστους· τῶν δ' ἐκ τῆς γῆς τοὺς πολλοὺς, ἅτε αὐτοὺς τε πεπονηκότας ἄλλους τε ἑωρακότας, οὐκ ἐξ ἐπιδρομῆς τὰς αἰρέσεις ποιείσθαι. Haec si reputemus apparet, vocem ἀπάλαμος, qua utitur Pindarus, subtilissimo delectu positum esse, neque tam impium significare, quam boni



potius consilii inopem, incautum, qui non satis par rei propositae sit. Atque is est huius vocis usus apud Homerum *Il. ε. 597* ως ὄτ' ἀνήρ ἀπάλαμνος, ἰὼν πολέος πεδίοιο, στήη ἐπ' ὠκυρόω ποταμῷ ἄλαδε προρέοντι, et apud Simonidem in *Plat. Protag.* p. 346<sup>c</sup> (Bergk. *Poet. Lyr. Gr. III*<sup>4</sup>, p. 386: ὅς ἂν ἢ κακός, μηδ' ἄραν ἀπάλαμνος, εἰδώς γ' ὀνασίπολιν δίκαν ὑγῆς ἀνήρ, ubi de negationis zeugmate in κακός μηδ' ἄραν ἀπάλαμνος conferri potest similis loquendi forma apud Sophocle. *Philoct.* 771 in qua item in priore membro negatio ex altero membro suppletur: ἦν δὲ τῷδε τῷ χρόνῳ μὸλωσ' ἐκείνοι, πρὸς θεῶν ἐφίεμαι, ἔκοντα μὴτ' ἄκοντα, μηδέ τῳ τέχνῃ κείνοις μεθεῖναι ταῦτα. Quae si recte disputata sunt, haec fere summa efficitur: Pindarum in universum quidem Orphicorum de migratione animarum placita ex animi sententia probasse et amplexum esse, sed in singulis quibusdam gravissimis subtilissimae materiae partibus libero iudicio suum atque vel Platoni praeludentem ab amicorum sententia discessisse.







PA Luebbert, Eduard  
4276 Commentatio de Pindaro cog-  
L81 natiis de migratione animarum  
cultore

PLEASE DO NOT REMOVE  
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

---

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

---

